



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1768**

**VD18 90118340**

§. 102. Bajazethis legatio ad Galliarum Regem in caussa Zizimi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](#)

**Sæcul. XV.** sibi concedi efflagitabat, quem copiis  
A.C. 1489 suis adversus Bajazethem præficere meditabatur. Verum magnus Rhodiorum Magister neutri horum Zizimum tradendum statuit, ratus, potiori nomine summi Pontificis voto cedendum esse; qua propter Carolum VIII. datis literis rogabat, ut ei Zizimum ex Galliis, ubi tum agebat, evocandi facultatem concederet. Ipse etiam Pontifex Regi, ut consensu suo accederet, legatione decreta supplicabat. Jamjam Carolus in eo erat, ut Zizimum in Italiam transferri permetteret; ast ecce! adveniebat Legatus a Bajazethe missus, qui Zizimum in Galliis retineri, nec aliis Principibus tradipetebat.

### §. CII.

#### *Bajazethis legatio ad Galliarum Regem in causa Zizimi.*

**Jac. Bosius Hist-Rhod. tom. 2. l. 14.** **Saligny hist. Carol. VIII.** Bajazethis Oratorem comitabatur alius Regis Neapolitani Legatus, qui Turcicarum Imperatoris nomine Carolo omnes sacras obtulit reliquias, quas Mahometes Constantinopoli, atque in aliis Europæ & Afriæ urbibus reperisset; insuper pollicebatur, redditurum se omnes civitates Christianis erectas, necnon omnem navaturum operam, ut Terram sanctam ac Regnum Jerosolymitanum, ex Ægypti Sultani manibus, in cuius potestate

state erat, eriperet, ac denique præter Sæcul. XV.  
hæc oblata spondebat, se ingentem pe- A.C. 1489.  
cuniæ vim pro alendo Fratre suo quo-  
tannis suppeditaturum. Postremo lega-  
tus subjunxit, Bajazethem vehementer  
metuere, ne Zizimus summo Pontifici,  
aut Matthiæ Hungariæ Regi, vel Ægy-  
pti Sultano, qui omnes eum sibi config-  
nari impense efflagitabant, traderetur.  
Evidem cum Zizimus adveniente Ba-  
jazethis Legato, adhucdum in Galliis  
existeret, integrum fuisset Regi, illum  
penes se detinere, idque, ut faceret,  
complures Carolo auctores erant; ast  
Rex, inquit Jalinus, utpote Christianis-  
simus, & filius obediens satius duxit,  
fidem Pontifici datam exsolvere, ipsos  
vero Oratores Mahometanum, necnon &  
Neapolitanum benevolentiae signis ac mu-  
neribus auctos dimittere. Itaque Rex  
Zizimum Nunciis Pontificiis concessit,  
his tamen conditionibus, ut illum Ro-  
mam, nec in aliam quamcunque regio-  
nem deducerent, semperque illum Equi-  
tes Rhodii custodirent, nec de eo ullaten-  
nus, inscio Rege, disponerent, addita  
mulcta decem millium librarum auri.

## §. CIII.